

tanta coacervatio aliorum super alios ruentium. Quod in strage hominum magna evenit, quum ipse se populus premit; nemo ita cadit, ut non alium in se attrahat, primi exitio sequentibus sunt: hoc in omni vita accidere videas licet; nemo sibi tantummodo errat, sed alieni erroris et causa et auctor est. Nocet enim applicari antecedentibus; et dum unusquisque mavult credere, quam judicare, nunquam de vita judicatur, semper creditur; versatque nos et praecipitat traditus per manus error, alienisque perimus exemplis. Sanabimur, si modo separemur a coetu: nunc vero stat contra rationem, defensor mali sui, populus. Itaque id evenit, quod in comitiis, in quibus eos factos praetores iidem qui fecere mirantur, quum se mobilis favor circumegit. Eadem probamus, eadem reprehendimus. Hic exitus est omnis iudicii, in quo secundum plures datur.

II. Quum de beata vita agitur, non est quod mihi illud discessionum more respondeas: «Haec pars major esse videtur.» Ideo enim peior est. Non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant: argumentum pessimi, turba est. Quaeramus quid optimum factum sit, non quid usitatissimum, et quid nos in possessione felicitatis aeternae constituat, non quid vulgo, veritatis pessimo interpreti, probatum sit. Vulgum autem tam chlamydatos, quam coronatos voco. Non enim colorem vestium, quibus praetexta corpora sunt, adspicio: oculis de homine non credo. Habeo melius certiusque lumen, quo a falsis vera dijudicem. Animi bonum animus inveniat. Hic, si unquam illi respirare et recedere in se, vacaverit, o quam sibi ipse verum, tortus a se fatebitur, ac dicet: «Quidquid feci adhuc, infectum esse mallet: quidquid dixi, quum recogito, mutis invideo: quidquid optavi, inimicorum execrationem puto: quidquid timui, dii boni, quanto levius fuit, quam quod concupivi? Cum multis inimicitias gessi, et in gratiam ex odio (si modo ulla inter malos gratia est) redii: mihi ipsi nondum amicus